



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Tertia Controversia. An Beata Virgo condignè, aut congruè meruerit esse
Mater Dei?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

Alia eiusdem authoris argumenta ex preno-
tatis facile diluuntur.

*Cont. eandem
cōcl. obi. 1.* Contra eandem concl. argum. Pelantius; primò;
quia Fulg. lib. de Incarnatione, cap. 7. Glossa. in
Psal. 73. Hierony. Dialogo primo contra Pelag. &
alii ex Patribus negant absolūtē Incarnationem
factam esse ex meritis; ergò videtur excludere
Sol. omne meritum etiam de congruo. Resp. SS. Pa-
tres loqui de merito simpliciter & propriè di-
cto, quod est meritum ex condigno; & ideo fal-
sa est argumenti consequentia.

Obi. 2. Secundò, August. de Prædestinatione SS. c. 15.
vult Incarnationem ita esse factam gratis, sicut
gratis datur gratia: at hæc datur sine ullis meri-
tis etiam de congruo; ergò. Resp. August. loqui
de Incarnatione in ordine ad merita Christi; nō
autem in ordine ad merita SS. Patrum; & ita cur-
rit similitudo, ut quædamodū nullus potest etiā
de congruo sibi mereri primam gratiam, sed al-
teri; ita Christus sibi non meruerit Incarnatio-
nem, quam SS. Patres congruè meruerunt; non
quidem illi sed sibi & humano generi.

Obi. 3. Tertiò: Deus propter merita Christi mouetur
ad dandam gratiam antiquis Patribus & merita
non sunt, nisi solum existentia in præsentia
Dei; ergò necesse est, ut fuerint præiusta futura
independentè à meritis Sanctorum Patrum; er-
gò hæc non potuerunt esse illius meritoria. Pro-
batur prima consequentia: quia nunquā id quod
est prius causalitate, posterius sit in eodem ge-
nere causæ, etiam quo ad executionem; sed sem-
per in eodem genere prius est, licet possit esse
posterius tempore, vel in aliquo alio genere, ut
patet in sanitate, quæ semper tam in intentione,
quàm in executione prior est medicina in gene-
re causæ finalis; posterior autem utroque modo
in genere causæ efficientis. Resp. nullam esse pri-
mam consequentiam, si sermo sit in consequen-
te de dependentia Christi, & meritorum eius à
meritis Patrum secundum omnem rationem, &
modum dependentiæ sumendo latè dependen-
tiam, prout etiam id quod ex merito congrui
veluti ex causa datur, dici potest ab eis depende-
re, quo ad eius acquisitionem à meritis. Ad pro-
bationem consequentiæ negatur antecedens lo-
quendo de eadem re secundum diuersam ratio-
nem & modum dependentiæ, ut patet ex dictis:
nulla enim repugnantia est merita SS. Patrum
quo ad substantiam dependere à meritis Christi
in genere causæ meritoria merito condigni; &
eadem merita esse congruè meritoria aduentus
Christi & meritorum eius, quatenus hæc meri-
ta completiua sunt gratiæ & meriti SS. Patrum;
atque ita diuersa ratione esse priora & posteriora.
Vel dicas merita sanctorum Patrum esse dis-
positionem ad Saluatorem à Deo missum reci-
piendum.

Obi. 4. Quartò: Si SS. Patres meruerunt Incarnatio-
nem; sequitur post lapsum hominis sibi meruisse
habere redemptionem; ergò primum princi-
pium redemptionis nō esset ex Deo sed ex no-
bis, quod est Pelagianum. Resp. nullam esse con-
sequentiā, quia gratia qua meruerunt ex congruo san-
cti Patres Incarnationem, erat à Deo & ex me-
ritis Christi; nec innitebantur merita Patrum
iustitiæ sed beneuolentiæ Dei: & ideo nec tol-
lunt nec minuant rationem gratiæ in beneficio
redemptionis.

Solut. Contra sextam concl. sunt plura loca di-
uina scripturæ, quæ referunt & exponunt Sua-
rez disp. 10. sect. 6. & Asturicensis in alleg. quæst. 5.
pag. 475. Hæc verò sunt. Psal. 11. Propter mi-
seriam inopiam, & genitum pauperum nunc exur-

Agam dicit Dominus. Psal. 71. Cito anticipent nos
misericordie tue. Isaia 4. Vinum dirumpetis Cæ-
los, & descenderes. Et capit. 51. Cito veniet sa-
lus tua. Abacuch 2. Veniens veniet, & non tar-
dabit. Daniel. 9. Septuaginta hebdomada abbre-
uiata sunt, &c. Quæ omnia de acceleratione
in sensu septimæ conclusionis sunt intelligen-
da

CONTRA Vltimam concl. argum. Rada: Si obi. cont.
liceret asserere Abraham & David meruisse de
congruo ut fieret illis specialis de Christo
promissio, & B. Virginem ut congruè dispo-
neretur ad Christi conceptionem, simili ratio-
ne liceret affirmare populum Hebræorum me-
ruisse, ut ipsum Deus in populum peculiarem
eligeret contra illud, Deuter. 9. Neque enim pro-
pter iustitias tuas, &c. Et confirmatur; quia iam
omnes circumstantiæ Incarnationis ante præ-
iusta merita Patrum fuerant à Deo prædetermi-
nata; ergò. Probatur antecedens; quia per specia-
lem gratiam ordinabantur illis Patres antiqui
ut se disponerent congruè ad Incarnationem,
scilicet Abraham & David, ut fieret illis specia-
lis de Christo repromissio, & beata Virgo ut cō-
gruè disponeretur ad Christi conceptionem; er-
gò illa gratia supponebat electionem ad hæc mu-
nera, quæ sunt Incarnationis circumstantiæ; er-
gò hæc electio non cecidit sub merito; sed po-
tius ipsum meritum ab ea processit. Secundo:
quia homines non se disposerunt ad susceptio-
nem Incarnationis tali tempore, potius quam a-
lio, nisi per auxilium gratiæ omnia merita præ-
cedens: sed quod hoc auxilium datum fuerit
potius hoc tempore quàm alio ex sola Dei vo-
luntate processit; ergò prima temporis prædefi-
nitio, quo Christus incarnari debuit; non fuit
ex meritis hominum præiustis, sed ex sola Dei
voluntate; idemque de alijs Incarnationis cir-
cumstantijs dicendum est. Respond. nullam esse
consequentiam; quia plus est mereri electionem,
quàm rem ipsam electam: nos autem non asseri-
mus sanctos Patres meruisse electionem, aut præ-
destinationem circumstantiarum; sed ipsas cir-
cumstantias iam à Deo prædefinitas. Ad confirma-
tionem negatur consequentia; quia potest eadem
res fieri pluribus titulis debita, & ut talis ijs qui-
bus debita est exhiberi; ut supra diximus de glo-
ria corporis Christi, quæ illi debebatur ex ani-
mæ gloria; ex qua naturaliter sequebatur; & ta-
men facta est illi debita ex merito passionis. Sic
Incarnatio Verbi diuini cum omnibus circum-
stantijs nobis à Deo ex diuina & æterna prædefi-
nitione, veluti causa principali debebatur; & ta-
men voluit eam alio titulo nobis deberi, scilicet
ex merito congrui, veluti medio ad eam suauiter
hominibus exhibendam.

Conf. B

Solut. C

D

E

TERTIA CONTROVERSIA.

An Beata Virgo condignè, aut congruè meruerit
esse Mater Dei?

QVIDAM ex antiquis Theologis, quos refe-
runt hic recentiores, asserunt Beatam
Virginem meruisse de condigno esse matrem
Dei; ex his præcipui sunt Gab. in 3. disp. 4. q. v-
nica, art. 3. dub. 3. Almainus q. 1. dub. 3. Maior
q. 4. in fine, & Abul. Paradoxi. c. 34. & 38. Alij
verò antiquiores moderatius se loqui putantes
dicunt Beatam Virginem non de condigno, sed
de digno maternitatē sibi diuinā meruisse: ita S.

Bonau. in 3. dist. 4. a. 2. q. 2. & ibi Ricard. a. 3. A q. 1. & Marfil. q. 5. a. 3. dub. 1. concl. 2. & 3. Val. puncto ult. huius q. duo dicit: Primum est B. Virginem ex congruo tantum incarnationem; ac proinde etiam eodem modo diuinam maternitatem meruisse; & meritum hoc in pijs actionibus Virginis fuisse, non ut habebant vim à donis gratiæ; atque adeo ab ipsa incarnatione diuinitus præuisa, tanquam à prima donorum omnium radice, sed ut ipse erant rectæ ac bonæ moraliter. Secundum est; Hoc ipso quod B. Virgo, & alij SS. meruerunt de congruo incarnationem, ipsam meruisse quoque per eadem opera à Deo præuisa, ut Deus præordinaret & vellet mysteriū incarnationis peragere. Eandem sententiam sequitur Vasq. disp. 23. a. 1. cap. vsque ad 4. inclusiue.

Suar. dicit nouem. Primum est Beatif. Virginem fuisse condignè dispositam ut esset mater Dei. Secundum Beatif. Virg. consecutam esse hanc dispositionem, partim ex sola diuina gratia eam præueniente, partim per opera sua & merita de condigno. Tertium est B. Virginem non meruisse de condigno esse matrem Dei. Quartum est B. Virginem per Dei potentiam absolutam potuisse dictam maternitatem condignè promereri; si videlicet intercederet pactum seu promissio de tali præmio conferendo. Quintum est tertium dictum esse quidè magis probabile & simpliciter verum; sed contrariam sententiam nulla nota esse dignam, præterquam minoris probabilitatis & falsitatis. Sextum est non potuisse B. Virginem de condigno mereri maternitatem simpliciter & absolute, non merendo de condigno incarnationem. Septimum est potuisse Beatam Virginem mereri ex condigno maternitatem, quasi sub conditione seu facta suppositione, quod Deus sit futurus homo, non merendo ex condigno incarnationem. Octauum est Beatam Virginem non meruisse de congruo, ut prædestinaretur seu eligeretur in matrem. Vltimum est B. Virginem meruisse de congruo ut esset mater Dei.

Magister Porrecta circa respon. ad 3. ait: aliud esse mereri Deum incarnari, & aliud esse mereri ipsum ex mera bonitate sua incarnandum recipere in vtero proprio virginali, portare, parere, lactare & fouere more matris debito; & de hoc secundo merito, non de primo Ecclesiam loquitur; cum prædicat illam meruisse dominum portare. Videtur autem hic expositor loqui de merito condigni; nam de merito congrui S. D. 3. sua cōcl. affirmat in textu SS. Patres, ac proinde multo magis B. Virginem incarnationem desiderando & petendo meruisse.

Med. super hoc a. dicit quinque. Primum est B. Virginem non meruisse de condigno esse matrem Dei. Secundum est oppositam sententiam non esse satis tutam in fide. Tertium est eam opinionem esse friuolam & periculofam in fide, quæ dicit B. Virginem non meruisse absolute incarnationem merito condigni, sed supposita prædestinatione diuina & sub conditione. Quartum est B. Virginem meruisse de congruo incarnationem & illam ineffabilem dignitatem, ut esset mater Dei. Vltimum est B. Virginem de condigno meruisse eum puritatis & sanctitatis gradum, ut congruè esset mater Dei.

Asturicensis à Medina discordat in tertio, & 4. dicto; ait enim sententiam illam oppositam posse defendi salua fide & absque villo erroris periculo; in alijs cum eo conuenit. Quibus etiam consentit Alvarez, & alij Tho-

mistæ communiter, & colliguntur ex littera præsentis articuli.

RECOLENDA est hic in primis distinctio meriti superius explicata; nimirum duplex esse meritum: alterum ex condigno; & alterum ex congruo. Sed præterea supra q. 1. a. 2. Contro. 2. meritum ex condigno diximus esse duplex: alterum ex toto rigore iustitiæ; alterum autem diuinam præsupponens misericordiam & gratiam gratificantem & acceptantem opus, ut sit Deo acceptum in ordine ad præmium. Denique meritum ex congruo tripliciter dicitur: primum per affectionem rei eo modo quo Crux dicitur meruisse portare talentum mundi. Et de bono Latrone dicitur, quod meruit indulgentiam idest obtinuit. Huius acceptionis plura exempla vide apud Canisium lib. 2. de Deipara, cap. 16. Secundò dicitur meritum congrui dispositio proxima & supernaturalis ad aliquod donum Dei supernaturalis recipiendum, ut explicauimus in præcedenti Contro. Et his duobus modis satis improprie dicitur meritum congrui. Tertiò itaque dicitur proprie meritum congrui operatio supernaturalis, cui non secundum leges iustitiæ, sed secundum leges amicitie conuenit retributio præmij; ut supra declarauimus cum D. Th. & ad hoc membrum videtur pertinere meritum digni, quod statuunt Ricard. & Bonau. quamuis alij fortasse nomine talis meriti intendunt meritum illud ex condigno, quod non est ex toto rigore iustitiæ.

Secundò notandum est, meritum non solum condigni sed etiam congrui proprie sumptum respectu præmij supernaturalis in solis actibus consistere supernaturalibus, ut probat S. D. in 1. 2. quest. 109. art. 5. Vbi loquens de merito in cōmuni, prout extenditur ad meritum condigni & congrui, ut notat ibi Contr. docet, hominem non posse per sua naturalia, sed per gratiam tantum mereri vitam æternam, quod probat: Quia nullus actus excedit proportionem principij actiui: vita æterna est finis excedens proportionem naturæ humanæ; ergo non potest homo per sua naturalia producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ; ergo requiritur altior virtus, quæ est virtus gratiæ. Probat maiorem; quia videmus in rebus naturalibus, nullam rem posse perficere effectum per suam operationem; qui excedat virtutem actiui; sed operatione sua solum potest effectum producere suæ virtutis proportionatam. Quo etiam medio probat eandem conclusionem eodem lib. quest. 114. artic. 2. Igitur meritum illud, quod habuit Beata Virgo respectu maternitatis, fuit tantum per actus supernaturales, ut etiam affirmant Hieronymus Epist. 12. de custodia virginitatis ad finem. Anselmus de Laudibus Virginis, cap. 8. Ambrosius Epist. 32. Bernard. serm. 4. de assumptione. & Chrysost. Hom. 49. in Gen. & Maxentius Dialogo 1. cap. 12. ait; Mariam fide plenam Deum meruisse concipere. Et Augustin. lib. de Natura, & gratia, cap. 36. Petrus Damianus in serm. 2. de Assumptione docent; B. Virginem id meruisse ex abundantia gratiæ, & Greg. lib. 1. reg. cap. 1. ait id meruisse per merita excellentiora meritis Angelorum. Cum itaque abundantia gratiæ & merita excellentiora meritis Angelorum sint supernaturalia ex Dei auxilio supernaturali deriuata; sequitur etiam merita Beatæ Virginis quibus diuinam meruit maternitatem, fuisse supernaturalia.

Tertiò sciendum est, aliud esse loqui de merito maternitatis, & aliud de merito talis gratiæ virginis

condigne sibi
me uisse di-
spotionem
ad materni-
tatem, non
autem ipsam
maternitati-
tem.

us puritatis & sanctitatis, quo B. Virgo con-
grue posset esse mater Dei: sicut etiam aliud est
loqui de acquisitione formae, & aliud est loqui
de acquisitione dispositionis ad formam: talis
enim gradus puritatis &c. qui est congrua dis-
positio ad maternitatem potest cadere sub me-
ritum, non solum congrui sed etiam condigni,
ut infra patebit: maternitas autem cadere non
potest sub meritum condigni sed congrui tantum:
sicut etiam dispositiones ad formam hominis,
quae est anima intellectiua, produci possunt ef-
ficaciter a generate; a quo tamen non potest ani-
ma intellectiua produci, sed eam solus Deus
creat & infundit corpori a generate medijs dis-
positionibus preparato. Quod autem non po-
tuerit B. Virgo diuinam maternitatem ex con-
digno mereri, patebit ex probationibus primae
conclusionis: potissimas tamen hic afferemus
probationes. Ad cuius videntiam.

Quarto notandum est, maternitatem Beatissi-
mae Virginis respectu Christi dupliciter posse
considerari: vno modo, prout est coniunctio cum
Christo, quatenus homo est, abstrahendo a di-
gnitate personae, & ita dicitur maternitas secun-
dum quid & imperfectior est quam gratia & glori-
a, ut ita Aug. in Epist. 38. & lib. de sancta Virgi-
nitate, cap. 3. & Iustinus q. 136. ad orthodoxos, &
Cyprianus in sermone de passione Do. atque ideo
potest cadere sub meritum tam congrui quam
condigni, non minus sed multo magis quam
gratia & gloria: Alio modo potest considerari, prout
est quadam affinitas cum Christo Deo & ho-
mine, ut ait S. D. 2. 2. q. 103. a. 4. ad 2. & quate-
nus operationes matris Dei attingunt fines diui-
nitatis, ut ait ibi Cai. & hoc modo dicitur ma-
ternitas simpliciter, & non potest cadere sub me-
ritum condigni: Primo, quia maternitas secun-
dum hanc rationem nobilior est omni gratia ad-
optionis & omni merito eius, ut asserunt Au-
gust. in lib. de Assumptione. Bernardus in sermone
de nativitate Virginis exponens illud Apoc. 12. Signum
magnum apparuit in Caelo. Ansel. lib. de excellentia
Virginis a principio, & Origenes Hom. 1. ex diuersis,
& Laurentius Iustinianus serm. 2. de Purificat. &
huius signum est, quod B. Virgini propter ma-
ternitatem Dei debetur excellentior adoratio,
quam cuilibet alio Sancto propter excellentiam
gratiae, ut ait S. D. loco supra notato. Secundo, quia
meritum B. Virginis procedebat ex gratia ado-
ptionis, quae ut hic solum respicit & inclinatur
ad augmentum ipsiusmet gratiae, & conseruationem
beatitudinis in eodem subiecto in quo est,
& ad alia similia; non autem ordinatur ad ea pro-
merenda, quae pertinent ad ordinem hypostatium
& reparationem totius humanae naturae. Ter-
tio: si B. Virgo meruit ex condigno ut esset ma-
ter Dei; ergo meruit de condigno ut Deus ex ea
nascetur & ut esset filius eius, ergo meruit ut
Deus incarnaretur, & ut Christus esset in rerum
natura: at hoc meritum in B. Virgine sicut etiam
in Patribus esse non potuit, ut ostendimus Con-
trouersia praecedenti; ergo. Prima consequentia
patet; quia consequens includitur intrinsicè in
antececedente: maternitas enim & filiatio sunt cor-
relatiua. Secunda etiam consequentia est eu-
dens; quia Deus per hoc quod in Virgine concipitur
& in eius utero nascitur dicitur incarnari, &
Deum incarnari est Christum poni in rerum
natura; quia Christus idem est quod Deus Incar-
natus. Alias probationes vide apud Medinam &
alios recentiores & praesertim Suarezium &
Valq.

Quinto Considerandum est dupliciter intelligi

A posse, B. Virginem Dei maternitatem condig-
nè meruisse: Vno modo absolute & absque vlla
suppositione: & hoc modo certum est tale me-
ritum in se claudere meritum Incarnationis, ut o-
stendimus: Alio modo potest intelligi Beatam
Virginem eandem maternitatis dignitatem me-
ruisse ex hypothesi, quod Deus futurus esset ho-
mo & humanam naturam ex vna aliqua foena
esset assumpturus: & dummodo sentit Suarez
praescindi posse meritum maternitatis, a merito
Incarnationis. Sed oppositum docet Medina su-
pra relatus & cum eo alij recentiores viri doctis-
simi. Et probatur huius sententiae veritas opti-
mis argumentis. Primo: quia supposito Incarna-
tionis decreto Verbum concipi ex Virgine erat
bonum infinitum pertinens ad ordinem superio-
rem, quam sit gloria, per quam ultra condignè
præmiatur meritum Virginis; ergo illud non
potuit cadere sub meritum eiusdem Virginis de
condigno. Secundo probatur; quia alias supposito
eiusdem Incarnationis decreto meruissent A-
braham & Dauid ex condigno, ut Christus ex
eorum semine nasceretur, quod non est admit-
tendum. Tercio, quia decretum Incarnationis per-
fectum respicit illam secundum omnes eius cir-
cumstantias: ex quibus vna praecipua est concu-
sus Virginis tanquam matris. Denique meritum
ex condigno postulat, ut opus meritorium or-
dinetur in premium ex inclinatione gratiae, vel
ut aliqui volunt ex diuina promissione: sed praesup-
posita futuritione Incarnationis merita B.
Virginis neutrorum modorum ordinabantur
in maternitatem Dei veluti in premium; ergo.
Maior patet. Minor quo ad primam partem
probat: Quia gratia B. Virginis, a qua proce-
debant eius merita, erat gratia adoptionis; ergo
ex sui natura ordinabantur solum ad augmentum
proprium, & ad beatitudinem promerendam,
& non extendebantur ad aliquid pertinens ad
ordinem vnionis hypostaticae, ad quem perti-
net maternitas Dei; ratione cuius B. Virgo ha-
bet affinitatem cum ipso Deo, ut ait S. D. in 2. 2.
loco supra notato, & explicat ibi Caietanus. Quo
ad secundam vero partem probatur primo; quia
nullibi extat talis promissio. Secundo, quia li-
cèt fuisset a Deo facta; non tamen imprimeret o-
peribus B. Virginis valorem aliquem illis in-
trinsecum, ratione cuius ad aequalitatem & de
condigno mererentur talem maternitatem. De-
nique facta illa suppositione meritum materni-
tatis, est meritum executionis mysterij Incarna-
tionis iam a Deo praedefiniti; ergo est meritum
ipsius mysterij, prout est in executione hic &
nunc, &c.

Sexto obseruandum est; aliud esse loqui de me-
rito praedestinationis & electionis ipsius B. Vir-
ginis in matrem Dei, & aliud de merito mater-
nitatis. Nam ut B. Virgo mereretur praedesti-
nationem & electionem suam in matrem Dei, o-
porteret eius merita a Deo praedefinita & pra-
uisa esse causas praedestinationis & electionis e-
ius in matrem Dei; non autem e contra, id est e-
lectio eius in matrem non esset causa meritorum
eius: ut autem B. Virgo maternitatem, saltem
ex congruo mereatur, id non requiritur; sed po-
tius supponitur, sicut de facto fuit, ex electione
Virginis in matrem Dei eius merita causari, qui-
bus secundum ordinem executionis diuinæ prouide-
ntiae maternitatem Dei, ad quam ab aeterno fuit e-
lecta, de congruo mereatur. Vnde sic possumus
arguere: Electio B. Virginis ad maternita-
tem fuit principium omnis gratiae & meritorum eius;
ergo non fuit electa in matrem Dei ex suis meritis.

Virginem ne-
que meruisse
se, neque me-
reri condig-
ne potuisse,
ut esset mater
Dei ex hypo-
thesi, quod fi-
lius Dei sum-
mus esset ho-
mo.

Beatissimam
Virginem no-
meruisse sibi
electionem in
matrem Dei

Beatissimam

Consequentia patet ex dictis in precedenti Cont. Antec. verò prob. quia S. Thom. & Caiet. infra q. 27. a. 5. & 6. docent, excellentem gratiam Beatæ Virginis fuisse à Deo collatam; quia electa fuerat in matrem Dei. Quod idem affirmant S. Bern. Epist. 174. S. Bon. in speculo Maria, cap. 5. 6. & 7. Damasc. oratione prima de dormitione Mariæ. August. serm. 21. de tempore Cyp. sermone primo de Natiuitate, Alb. M. lib. de B. Maria, c. 69. 70. & 71. & alij. Confirmatur hoc & explicatur. Nam prædestinatio B. Mariæ V. ad tantam gloriam præcessit merita illius: sed electionem illius ad tantam gloriam præcessit illius electio ad dignitatem matris Dei; quia ideo fuit electa ad tantam gloriam; quia decebat sic exaltari Matrem Dei; ergò. Scio Vasq. hæc impugnare; sed ex ijs, quæ diximus in precedenti Controversia, & alibi, patet eius impugnationes & responsiones nullius esse momenti.

Conclusiones
deductæ,
& probatæ.

Prima concl. B. Virgo non meruit sibi diuinam maternitatem per actiones moraliter tantum rectas & bonas. Hæc concl. est contra Val. & patet ex dictis.

SECUNDA CONCL. B. Virgo non meruit nec mereri potuit etiam per Dei potentiam absolutam ex condigno maternitatem Christi simpliciter dictam. Hæc concl. patet ex dictis in quarto Notabili & ex precedenti Contro. Vbi diximus, meritum Incarnationis si aliquod esse posset debere esse simpliciter infinitum. Iam autem ostendimus in merito condigno maternitatis includi meritum Incarnationis. Cum itaque nullum B. Virginis meritum fuerit simpliciter infinitum, nullum etiam esse potuit respectu maternitatis ex condigno.

TERTIA CONCL. B. Virgo maternitatem non meruit nec mereri condignè potuit ex facta suppositione, ne, quod Deus futurus esset homo. Hæc patet ex quinto fundamento.

QUARTA CONCL. Beata Virgo neque ex condigno neque ex congruo meruit, ut eligeretur in matrem Dei. Hæc patet ex ultimo fundamento.

QUINTA CONCL. B. Virgo ex gratia illi à Deo collata condignè meruit eum gradum puritatis & sanctitatis, quo posset esse congruè mater Dei. Hæc est S. D. hic ad tertium, & probatur. Nam gradus ille sanctitatis, qui dicebat eam quam Deus elegerat in Matrem Christi Dei & hominis, est illa summa perfectio gratiæ & virtutum, quam habuit quando Christum concepit: sed hanc perfectionem meruit ex condigno; ergò. Probatur minor; quia hæc pertinet ad augmentum gratiæ & virtutum: constat autem nos augmentum gratiæ & virtutum ex condigno mereri. Ad huius confirm. afferunt recentiores dictum singulare S. Bern. Senensis in sermone sr. ita loquentis: Beata Virgo per consensum, quem præbuit conceptioni Verbi, plus meruit, quam omnes homines, & Angeli simul suis actibus meritorijs meruissent: Sed hic erat gradus supremus sanctitatis, qui dicebat eam, quæ erat futura Mater Dei; ergò. Nec verum est, quod ait Suarez hic disput. atione decima, sectione septima, conclusione secunda, videlicet: B. Virginem non propriè meruisse dispositionem hoc consensu factam, sed illam effecisse libera sua voluntate, diuina gratia singulariter excitata & adiuta. Nam licet huius dicti secunda pars vera sit: prima tamen omnino falsa est; nam sicut alia priora gratiæ & virtutum augmenta Beata Virgo per actus singula augmenta præcedentes promeruit; ita & hoc vltimum gratiæ & virtutum; ac proinde dispositionis ad maternitatem Dei complementum per actum, quo

præbuit conceptioni consensum, promeruit. Vide, si placet, dictum expositorem loco notato conclusionem hanc declarantem.

SEXTA CONCL. Beata Virgo mereri condignè potuit & fortasse meruit maternitatem Christi secundum quid acceptam, prout scilicet est coniunctio cum Christo, quatenus homo est, abstrahendo à dignitate personæ: Hæc patet ex dictis & ex eo præsertim, quod meritum hoc non excedit proportionem gratiæ Beatæ Virginis & eius maximè decet excellentiam.

VLTIMA CONCL. Beata Virgo merito congrui, non solum impropriè sed propriè dicto meruit esse mater Dei. Probatur quia non solum fuit actu per Dei gratiam facta mater Dei: nec solas habuit dispositiones excellentis gratiæ gratum facientis in sua conceptione, & gratiæ præuenientis & adiuuantis, & priuilegiorum perpetuæ innocentiae, & carentiæ fomitibus & similibus, quæ in prima sanctificatione gratis accepit: sed alias etiam habuit dispositiones ex sua libera voluntate gratiæ Dei ac donis eius cooperante deriuatas, & augmenta gratiæ & virtutum vsque ad filij Dei conceptionem; quibus non solum quotidie sed per singulas horas & ferè momenta disponebatur; Quæ augmenta pijs ac sanctissimis suis actibus sibi promeruit; vt ante diximus. Dicta sanctorum Patrum ad huius conclusionis probationem lege, si placet, apud Val. & Suar. sect. 8. & Vasq. disp. 23.

CONTRA primam concl. sunt argum. Val. tom. 2. disp. vltima, quest. vltima. Quibus in proprio loco, Deo dante, satisfiet.

CONTRA secundam concl. sunt argum. quæ referunt & soluunt Vasq. in allegata disput. 23. Contra eandem conclusionem quo ad eam partem, quæ loquitur de potentia Dei absoluta, argumentatur Suar. Quoniam hæc dignitas Matris non est tam infinita, sicut ipsa vnio hypostatica; ergò quamuis opera gratiæ ex natura sua non tendant ad hoc præmium; si tamen intercederet pactum siue promissio de tali præmio conferendo, possent re vera habere valorem sufficientem, & dignitatem proportionatam tali præmio, vt esset in eis vera ratio iustitiæ; ac proinde meritum ex condigno. Et confirmatur; quia non est essentiale huic merito, vt opus in quo fundatur ex natura sua tendat in præmium, sed sufficit quæcunque proportio & condignitas in æstimatione morali suppositis alijs conditionibus, & præsertim promissione & lege; quod etiam in humanis præmijs seu brauijs videre est. Respond. nullam esse consequentiam, primò quia meritum maternitatis Dei claudit intrinsecè, licet secundariò meritum Incarnationis quod est præmium simpliciter infinitum: Secundò quia pactum & promissio Dei non augeat intrinsecum operum valorem; atque ideo nullam operi conferunt proportionem ad præmium, quod est altioris dignitatis & ordinis. Ad confirmationem negatur antecedens, si sermo sit de tendentia secundum operis proportionem: hanc enim esse necessariam affirmat Sanct. Doct. locis supra notatis ex prima secunda.

CONTRA tertiam conclusionem argum. obiecti. 3. mentum Suarez Quia facta suppositione quod Deus futurus sit homo, præcindi potest meritum maternitatis à merito Incarnationis; ergò. Probatur antecedens: quia præsupponit illam

illam futuram & aliunde potest meritum habere aequalitatem cum illa dignitate praecise sumpta & non cum Incarnatione; quod potest exemplo declarari: Nam si Princeps venturus ad ciuitatem sit, & ciuis aliquis impetret ac mereatur, vt potius in suam, quam alterius domum diuertat, recte intelligitur non mereri aduentum simpliciter; & nihilominus mereri circumstantiam qua illum necessario praesupponit. Respond. falsum esse antecedens. Ad cuius probationem negatur antecedens, absolute loquendo; cum nihil sit verè propriè ac simpliciter in abstracto futurum; sed in indiuiduo: Incarnatio autem Verbi indiuiduatur secundum hanc vnam numero humanitatem assumptam ex hac Virgine, tali modo scilicet Spiritus sancti virtute agente, & ipsa etiam Virgine concurrente & purissimum sanguinem ministrante: alioquin si ex alia materia, aut Virgine vel muliere aut alio modo fieret, iam non eadem incarnatio numero sed alia. Sed obijcit Vasq. quia bene (inquit) potuit intelligi hac numero humanitas cum hoc corpore & carne sumpta ex Virgine, sine concursu ipsius tanquam matris; quoniam hac materia eadem omnino esset; etiam si Virgo munus matris non subiisset, sed solum materia ex ipsa sumeretur, sicut costa ex Adamo. Deinde quia hac numero materia intelligi potuit in humanitate, etiam si prius non fuisset in Virgine; nam ad rationem indiuiduam materiae; sicut non requiritur dignitas & munus matris in Virgine; ita etiam non fuit necesse prius eam extitisse in ipsa Virgine; nam ex quauis alia re, in qua esse poterat, desumi posset & ex ea formari eadem numero humanitas. Respon. primo: aliud esse loqui de Incarnatione, & aliud de humanitate: illa enim est actio: hac autem substantia: actio verò physice sumpta eadem est realiter cum ipsa mutatione includente actionem & passionem: constat autem mutationem in mysterio Incarnationis ex parte materiae factam esse per hoc, quod Virgo mater materiam ministravit, quam Spiritus sanctus actiua sua virtute formauit. Si autem alio modo, puta, sine concursu matris aut aliunde sumendo materiam eam eadem numero, facta fuisset Incarnatio iam non esset eadem sed alia mutatio; & per consequens alia esset Incarnatio. Cum autem Incarnatio quocunque modo fiat, principium sit omnium meritorum: & meritum maternitatis etiam ex suppositione iam dicta includat meritum Incarnationis, consequens est vt mereri condignè maternitatem sit mereri condignè principium meritorum. Secundo resp. Quamuis absolute possit intelligi hac numero humanitas praedictis modis; non tamen potest intelligi aut esse hac numero humanitas, vt à Deo propriè & simpliciter praedefinita: Deus enim res praedefinit in indiuiduo, & secundum omnes & singulas eius circumstantias. Ad exemplum autem dico, illud esse valde dissimile: nam Principis aduentus in ciuitatem vnus & idem numero erit, siue ad hanc siue ad illam domum diuertat; quia domus omnes partes sunt vnus integræ ciuitatis; & rursus potest Princeps in ciuitatem venire, & ad nullam domum particularem diuertere, vel prius venire quam domum aliquam eius ingrediatur: & ideo potest aliquis aduentum Principis in domum suam mereri absque hoc, quod eius aduentum simpliciter in ciuitate mereatur: non potest autem Deus incarnari hac vna numero incarnatione, nisi ex tali materia, & tali modo carnem sumat; nec prius

A incarnari potest abstractè & postea singulariter, &c.

CONTRA quartam concl. sunt argum. Vasq. in allegata disp. 23. c. 4. Quibus nunc ea sufficient, quæ in praecedenti Controu. de Patrum meritis circa praedestinationem Incarnationis notata sunt. Contra eandem concl. est hoc argum. Beata Virgo facta fuit in tempore Dei mater ex meritis; ergo ab aeterno electa fuit in matrem ex meritis. Antecedens patet ex supradictis: consequentia verò probatur: Quia quæ Deus in tempore tribuit ex meritis, ab aeterno praeparauit dare ex meritis, & è contra; ergo si in tempore fecit illam matrem ex meritis, etiam ab aeterno elegit eam in matrem ex meritis. Respond. nullam esse consequentiam, quia Deus non tribuit Sanctis gloriam sine meritis; nec tamen eos ad gloriam praedestinauit ex meritis; quamuis eadem voluntate qua voluit eis beatitudinem voluerit etiam illos eam assequi per merita: diximus enim in praecedenti controuer. duplicem ordinem esse contemplandum in mente Dei praordinantis homines ad vitam aeternam: alterum intentionis, quo Deus ex sola libera sua & gratuita voluntate, quos voluit elegit ad gloriam; alterum executionis, quo voluit electos ad gloriam suis eam meritis adipisci. Sic igitur in proposito Deus libere & ex sua gratia voluit eligere B. Virginem in matrem; voluit tamen vt ipsa per sua merita causata à tali libera electione Dei disponeretur ad assequendam illam dignitatem.

CONTRA vltimam conclus. sunt argum. quæ profert & soluit Suar. in supra notata sect. 8. Quorum solutiones impugnat Vasquez assumptis falsis suæ doctrinae principijs; de quibus alibi.

ARTICVLVS XII.

Vtrum gratia vnionis fuerit homini Christo naturalis.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur, quod gratia vnionis non fuerit homini Christo naturalis. Vnio enim Incarnationis non est facta in natura, sed in persona: vt dictum est: sed vnamquodque denominatur à termino. Ergo gratia illa magis debet dici personalis, quam naturalis.

Præterea: Gratia diuiditur contra naturam: sicut gratuita, quæ sunt à Deo, distinguuntur contra naturalia, quæ sunt à principio intrinseco. Sed eorum, quæ ex opposito diuiduntur, vnum non denominatur ab alio. Ergo gratia Christi non est ei naturalis.

Præterea: Naturale dicitur, quod est secundum naturam. Sed gratia Vnionis non est naturalis Christo secundum naturam diuinam (quia sic conueniret alijs personis) nec etiam naturalis est ei secundum naturam humanam: quia sic conueniret omnibus hominibus, qui sunt eiusdem naturæ cum ipso. Igitur videtur, quod nullo modo gratia Vnionis sit Christo naturalis.

Sed contra est, quod Aug. dicit in Enchir. In humana natura susceptione sit quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum possit admittere peccatum.

Respondendo dicendum, quod secundum Philosophum in quinto Metaphys. natura vno modo dicitur ipsa naturitas, alio modo essentia rei. Vnde naturale potest aliquid dici dupliciter. Vno modo, quod est tantum ex principijs essentialibus rei. Sicut igni naturale est sursum ferri. Alio modo dicitur esse homini naturale, quod ab ipsa naturitate habet: secundum

Obi. cont. 4. concl.

Inf. q. 7. a. 13. 2. q. 34. a. 32. c. 3. dist. 4. q. 3 a. 2. q. 1. a. 1. c. 2. b. i. q.

Cap. 4. q. 2.

Sol.

Rep. a. Vasquezij

q.

Solutio 2. q. Obi.